

Zeitschrift: Museum Helveticum ad juvandas literas in publicos usus apertum
Herausgeber: Litteris Conradi Orellii et Soc.
Band: - (1746)
Heft: 4

Artikel: Historia vitae et obitus Ioh. Rodolphi Salchlini, [...], breviter delineata à J. G. A.
Autor: Salchlin, J. Rudolph
DOI: <https://doi.org/10.5169/seals-394592>

Nutzungsbedingungen

Die ETH-Bibliothek ist die Anbieterin der digitalisierten Zeitschriften auf E-Periodica. Sie besitzt keine Urheberrechte an den Zeitschriften und ist nicht verantwortlich für deren Inhalte. Die Rechte liegen in der Regel bei den Herausgebern beziehungsweise den externen Rechteinhabern. Das Veröffentlichen von Bildern in Print- und Online-Publikationen sowie auf Social Media-Kanälen oder Webseiten ist nur mit vorheriger Genehmigung der Rechteinhaber erlaubt. [Mehr erfahren](#)

Conditions d'utilisation

L'ETH Library est le fournisseur des revues numérisées. Elle ne détient aucun droit d'auteur sur les revues et n'est pas responsable de leur contenu. En règle générale, les droits sont détenus par les éditeurs ou les détenteurs de droits externes. La reproduction d'images dans des publications imprimées ou en ligne ainsi que sur des canaux de médias sociaux ou des sites web n'est autorisée qu'avec l'accord préalable des détenteurs des droits. [En savoir plus](#)

Terms of use

The ETH Library is the provider of the digitised journals. It does not own any copyrights to the journals and is not responsible for their content. The rights usually lie with the publishers or the external rights holders. Publishing images in print and online publications, as well as on social media channels or websites, is only permitted with the prior consent of the rights holders. [Find out more](#)

Download PDF: 27.04.2026

ETH-Bibliothek Zürich, E-Periodica, <https://www.e-periodica.ch>

* Historia Vitæ et Obitus

JOH. RODOLPHI SALCHLINI,

S. Theol. in Academ. Bern. Professoris, & Collegii
Majoris Præpositi,

Breviter delineata à

J. G. A.

Natus est Vir Pl. Reverendus atque Cla-
rissimus JOH. RODOLPHUS SALCH-
LI, *Helvetio-Zoffinganus*, die 30 Octo-
br. 1688. Patrem habuit Virum Pl. Veneran-
dum atque doctissimum *Job. Rod. Salchli*, Clas-
sis *Castrovillanæ* in Provincia Bernensi Decanum
meritissimum, Pastorem in *Ruexan* fidelissimum,
Matrem *Barbaram Delosea*, *Abrahami Delosea*, Pa-
storis tum temporis in Magno Templo Bernensi
Filiam. Ad publica Auditoria, cum plurimum
in primis jam juvenilis ætatis annis profecisset,
admissus fuit pie defunctus noster anno 1702.
Tanto autem ardore ac successu studia sua tracta-
vit, ut Celeberrimi Professores, *Hallerus*, *Benoit*
alique, quorum curæ & disciplinæ fuerat com-
missus, non tantum bene de eo sperarent, sed
& jam persuasissimi essent, magnum illum aliquan-
do nomen in Republica literaria habiturum. Stu-
dia vero Philologica & Theologica sibi præ aliis
excolenda putavit, hinc Literaturæ Græcæ & Lin-
guarum Orientalium studiis præ reliquis operam de-
dit,

* *Vitæ Summa brevis.*

HORAT.

dit: In Theologicis Professore & Præceptore usus est *Rodolpho*, S. S. Theologiæ eo tempore in Acad. Bernensi Doctore publico. Cum jam variis disciplinis & linguis esset imbutus, ad exteras Academias excurrendum existimavit, suscepto itinere literario Anno 1713 in Galliam, Belgium & Germaniam, cumque tum temporis in Academia Ultrajectina magna esset ROELLII & RELANDI fama, apud eos sibi subsistendum ratus, & per annos integros doctrinæ uberrimum fontem ibidem hausit; Præceptore insuper ad linguam Syriacam excolendam usus est CAROLO SCHAAF, cujus eruditio in hoc studiorum genere cognita est eruditis omnibus, Rabbinis etiam quibusdam doctissimis usus est, quorum ope Linguam Hebraicam sibi familiarissimam reddidit. Domum tandem variis eruditionis spoliis onustus rediit Anno 1715. & ut studiorum & profectuum specimen, ad Ministerium sacrum tum admittendus, exhiberet, eruditissimam Dissertationem in Hof. IV: 12. prælo subiecit, in qua quantos in Philologia sacra profectus fecisset publice declaravit; Manuum impositione tum Ecclesiæ consecratus, ad Ministerium Castrense *Friburgi* in *Brisgovia* obeundum fuit ab Amplissimo Magistratu ablegatus, copiis autem exauctoratis cum domum rediisset, ad Professionem *Græcam & Ethicam* in Academia Bernensi obeundam fuit vocatus Anno 1721, quam insigni cum applausu & diligentia exornavit usque dum Anno 1733 ad *Cathedram Hebræam & Catechetica* esset promotus, quam Spartam non minori laude obtinuit, usque dum Amplissimus Magistratus *Cathedram Theologiæ Elenctica* in ipsum

sum transferret, quam autem ingravescente jam morbo hydropico obtinuit, ita enim gravior vis morbi vires Corporis frangere & debilitare cœpit, ut per plures menses acerbis doloribus exagitatæ provinciae pro voto præesse non amplius potuerit; ita vero vincebat Vir Clarissimus morbi acerbitatem, ut qui eum inviserent lætum & infractum animum omnes mirarentur, usquedum tandem amissis & consumptis viribus Die secundo Junii Anno 1746 animam Creatori suo traderet. Fratrem reliquit unicum superstitem Virum Pl. Vener. atque Clariff. *JACOBUM SALCHLI*, *S. Theologiæ in Academia Lausannensi Professore*. Successor ei datus in Cathedra Elenctica Vir Pl. Rev. atque Celeberr. *DANIEL WITTENBACH*, qui nomen suum egregio *Systemate Theologico methodo scientifica conscripto* illustravit. Hæc pauca sunt, quæ sine magno verborum apparatu, ut vulgo in encomiis defunctorum fieri solet, de Viro beate defuncto dicenda videbantur breviuscule, nisi hoc addere velimus, eum Filiam reliquisse unicam, quæ cum mœsta Matre orbatum Parentem optimum luget. Scripta vero Viri Clarissimi sunt sequentia, quæ jam enumerata erant in Tom. II. *Tempe Helvet.* p. 335. ubi conspectus Academiæ Bernensis, qualis tum erat 1736 fuit exhibitus.

1. Idolomaneia S. Rhabdomanteia Antichristiana exhibita in Dissertatione Historico-Theologica in Hof. IV. 12. Bern. 4. 12. pl.
2. Dissert. in Hebr. III. 1. Quo sensu Christus dicatur Ἀπόστολος καὶ Ἀρχιερεὺς τῆς Ομολογίας ἡμῶν. Eadem hæc Dissertatio etiam fuit
Tom. I. T c inferta

inserta Thesauro Philologico a Viris Clariss.
Hafæo & Ikenio collecto.

3. Observationes in V. C. *Matthæi Pfaffi* dissertationem Hist. de Formula Consensus. Bern. 4. 8. pl.
4. Drey Solennitäts-Reden, darinnen durch die Historie aller Zeiten gezeiget wird, daß die Wahrheit niemahl so verborgen gewesen, als man aber derselben nicht gewollt. Bern in 4. 8. pl.
5. Oratio inauguralis de facillima methodo docendi Linguam sanctam. Bernæ 4. pl. 5.
6. Dissertatio de Fœdere operum ex mente Doctorum Hebræorum: hæc dissertatio comparet *Tempe Helvet.* Tom. III. pl. 544.
7. Disquisitio de initiatione Puellarum Hebræarum in Fœdus Dei. 4. pl. 5. Bernæ. 1744.
8. Observationes variæ ad varia V. & N. Testamenti loca, potissimum ex Pindaro desumptæ. Bernæ, apud Wagner & Muller. 4. pl. 20. lucem vidit hic p. m. Viri fœtus paucis ante obitum diebus, atque in se continet plurimas observationes, ubi difficilioribus V. & N. Test. locis lux affunditur.

Scripta vero quædam, præter Orationes sacras plurimas in Scriniis reliquit.

1. Apologiam pro Observationibus suis Form: Consensus contra *Dan. Schnitlingium*.
2. Observationes in Cl. *Crinsonii* Jobum, Psalmos & Apocalypsin.
3. Diatriben contra Cl. *Rochii* Historiam Serveti, Bibliothecæ Anglicanæ insertam.
4. Disquisitionem Philologico-Criticam de Urim & Thummim.

Vita